

Etenim licet impropriè quodammodo & secundum analogiam primæ mentis operationi tribui possit veritas, quam nonnulli incomplexam appellant, falsitas tamen ipsi ne impropriè quidem & secundum analogiam tribui potest.

¶ Denique notandum est, quod apud Autores alia acceptio veri & falsi quam prout hactenus sumpta fuerunt, non occurrat. Nam apud illos sæpe res falsa dicitur, quæ planè non est id, quod videtur esse, sed quæ falsata & corrupta est, seu, quæ licet sit, quod videtur esse, aliquid falsi tamen admixtum habet, quomodo e.g. falsum aurum dici potest, quod admixtò cuprō est falsatum. Contrà res vera dicitur quæ purè talis est, qualis apparet, nec quicquam alieni vel falsi habet admixtum, quomodo verum aurum idem erit ac purum aurum. Quæ acceptio est diversa à priori, quod li-

quet ex eo, quia falsum, prout in thesibus antecedentibus fuit sumptum, opponitur vero contradictoriè, h. modò autem acceptum opponitur vero privativè. Liceat mihi cum pace Theologorum rem declarare exemplò Theologico: Ecclesia vera & falsa duplice sensu dicitur. Primo enim Ecclesia vera opponitur Ecclesia falsa contradictione, h. e. non Ecclesia, & falsa Ecclesia h. m. dicitur; quæ planè non est Ecclesia, quomodo synagoga Judaica & Ecclesia Turcica potest dici falsa Ecclesia: quæ acceptio veri & falsi apud Metaphysicos recepta est. Secundo Ecclesia vera opponitur falsa privativè, i. c. non pura, non orthodoxæ Ecclesia, quæ sic adhuc ex parte est Ecclesia, ex parte tamen à veritate fidei & religionis Christianæ defecit, atque ita corrupta, falsata & impura Ecclesia dicitur, quòd sensu dicunt nostrates Theologi, Ecclesiam Pontificiam ac Calvinianam esse falsas Ecclesias.

## TABULA XXIII. DE BONO.

**RELATIVE**, quòd alteri vel aliis bonum est; sicut v. gr. Plethora bona est sanguinis missio.

\* Veteres bonum h. m. sumtum dixerunt esse id, quod *omnia appetunt*. (β) I. Ethic. c. I. Non autem intellexerunt, quod omnia simpliciter (unius enim cuiusque entis proprium est bonum) sed quod *omnia entia ejusdem generis vel species appetunt*: Ita voluptas bona est animalibus, quia omnia animalia voluptatem appetunt; visio oculis, quia omnes oculi eam appetunt: scientia mentibus, quia omnes mentes eam appetunt. (*Appetitus hic sumitur pro appetitu naturali & elicito*.) Nec obstat, quod homines etiam appetant, quod malum est. Hoc enim fit per accidens & præter naturam appetitus sive voluntatis humanæ.

\*\* Non autem formalis ratio Boni in hoc consistit, quod appetatur, nec quòd ab omnibus appetatur. Res enim non est prior, quam formalis ejus ratio. At prius est, aliquid esse bonum, quam appeti. Et prius est, aliquid esse omnibus bonum, quam ab omnibus appeti: quia illud est hujus causa. Hinc vera est causalis hæc propositio: *quia aliquid bonum est, ideo appetitur*. Et *quia bonum est omnibus, ideo ab omnibus appetitur*. v. gr. quia voluptas bona est omnibus animalibus; ideo ab omnibus appetitur. Non itaque formalis ratio boni, sed ejus proprietas est, ab omnibus appeti, aut potius appetibile esse.

\*\*\* Alii **BONUM RELATIVE** dictum à priori definiti ridicunt esse id, quod alteri est conveniens. Ex convenientia illa boni cum altero fluit, ut bonum ab altero appetatur, aut sit appetibile. Ita sanitas est bona homini formaliter per hoc, quod homini est conveniens: at quia homini est conveniens, hinc etiam ab ipso appetitur, aut appetibilis est: Est autem aliquid alteri conveniens i. ut *forma materiae vel subiecto*, v. gr. scientia homini, frigus aquæ, anima corpori organico. 2. Ut *materia formæ vel composite*, v. gr. corpus animæ, ut & homini. 3. Ut *causa efficiens*, sicut Deus est conveniens creaturis. 4. Ut *instrumenta cause principali*, sicuti divitiae convenient homini liberali. 5. Ut operatio ei, quod est *propter operationem*, & in universum finis ei, quod est *propter finem*.

N 3

ABSO-

In doctrinā Boni spectandum

Ipsum Bonum Transcendentale (a)  
quod per omnia prædicamenta vagatur. Dicitur autem aliquid Bonum

I. Vel

A

B

C